



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

In Concilivm Viennense Oecvmenicvm Sive Vniversale XV. approbatum,  
trecentorum & amplius episcoporum, quo Bonifacius papa octavus a  
calumniis Philippi regis Francorum absolvitur: Templarii ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

I N

## CONCILIVM VIENNENSE

<sup>b</sup> OECVMENICVM SIVE VNIVERSALE XV.

approbatum, <sup>c</sup> trecentorum & amplius episcoporum, quo <sup>d</sup> Bonifacius papa octauus a calumniis Philippi regis Francorum absoluitur: <sup>e</sup> Templarii extirpantur, hæreses <sup>f</sup> Petri Ioannis, <sup>g</sup> Fraticellorum & Dulcinistarum, <sup>h</sup> Begardorum & Beguinarum condemnantur; <sup>i</sup> expeditioque pro recuperanda terra sancta suscipienda decernitur, <sup>k</sup> plurimæque constitutiones (quæ extant quinque libris Clementinarum in corpore iuris canonici) pro reformandis moribus ecclesiæ promulgantur, <sup>l</sup> anno Domini MCCCXI. tempore Clementis papæ quinti, & Henrici septimi imperatoris, constitutiones autem huius Synodi separatim excusæ reperiuntur in iure canonico, & Clementinæ inscribuntur, vt habetur in titulo,

N O T Æ.

<sup>a</sup> Concilium.] Causam & occasionem indictæ Synodi inter alios scriptores nemo verius, & citra omnem affectum nemo melius expressit quam Conradus Vecerius scriptor huius temporis in vita Henrici septimi imperatoris: qui dum exposuisset quæ ratione Clemens cura & studio Philippi regis imperium Romanum affectantis per cardinales Galliæ pontifex factus fuisset, deque coronando in imperatorem Romanum fratre eius Carolo, & absoluendo a sententia excommunicationis Philippo sponsonem dedisset, ista subiungit: *Gotho, ita nominabatur Clemens, vt primum que ab rege acta de se fuerant Italis quoque probari cognouit, senatum statim cardineum vniuersum, regesque transalpinos aliquot conuenire Lugdunum iubet, ad peragenda inaugurandi solennia. Id edictum tamen si prælatis Ausonia non perinde arrideret, pontificiam aulam trans Alpes concessuram gentibus: coiere tamen in ciuitatem designatam non infrequentes: ibi declaratus ex more maximus ecclesiæ Christianorum episcopus, quintique Clementis appellationem sortitus, mox Philippum censuris (namque id primum postulatorum caput extiterat) quibus innexum a Bonifacio diximus, exoluit; reliqua promissorum tempestiue se effecturum affirmans. Sed nec ea Philippus posthabenda ratus, Pictauos in Conuentum accersito Clemente, de ceteris desiderii sui partibus referri iussit in medium. Summa petitio erat, de abolenda in perpetuum memoria Bonifacii. Neque pretextu caruit flagitio impudens, articulis quadraginta ingenio ca-*

sidi-

ANNO  
CHRISTI  
1311.

fidicorum excogitatis, quibus Octavi mores, prater alia facinora, de heretica impietate sugillabantur. Hic vero habere estuareque Clemens, quidnam consilii in re tam inexplicabili caperet. Namque inde occurrebat sacramenti interuentu firmata promissio, hinc innocentia Bonifacii, qui ut neque forsitan insons prorsus criminum haberetur, ita non vllum extare de obiecto admissio iudicium: quin exemplis, decretis constitutionibusque declaratum abunde reliquisset, quanto studio quantaque fide gubernacula culminis apostolici procurasset.

Sollicito inter has curas Clemente quinto, opportune Nicolaus cardinalis Pratenfis interuenit: cui, quod arbiter omnium arcanorum haberetur, nudantur ordine omnia. Is, ut erat ingenio ad subita etiam queque moderanda dexterrimo, primum confirmato pontificis animo, scire se quid potissimum illi consilii profuturum speraret affirmat; regias in primis spes ali disimulanter augerique placere, tum docere cupidum principem, quo magis rata fiant: qua ad Bonifacii cineres attinent, videri futurum consultius, st tanta res non nisi publici Concilii senatusconsulto firmetur. Quam sententiam vbi Gallus approbauerit, sedem Conuentui Viennam inter Allobroges deligat, aliamve ciuitatem quam-piam & liberam, & ad excedendum regis finibus opportunam. Placuit Clementi quinto cardinalis suggestio. Itaque de voluntate Philippi Viennam maximo Christianorum Conuentu edicto, octauoque Bonifacio papa de opposita impietate ex sententia patrum absoluto, ipse ibi paucos commoratus dies Auenionem in Roberti regis prouinciam se contulit.

Eadem Antoninus 3. parte historiarum titulo 11. cap. 3. his verbis describit: Anno Domini 1311. Kalendis Nouembris cepit celebrari Concilium generale Vienna in Burgundia, prout fuerat ante publicatum: in quo presentes fuerunt plusquam trecenti episcopi, vltra alios prelatos de diuersis partibus orbis. Et cum Clemens, ut satisfaceret promissioni facta regi Francie in sua promotione, scilicet de delenda memoria Bonifacii ex ecclesia, cum pralatis Concilii tractaret: quia rex illum hereticum fuisse probare intendebat, Concilium nullo modo assentire voluit; sed contrarium declarauit, scilicet ipsum fuisse catholicum & indubitatum pontificem. Verum quia ipse fecerat processus contra regem Francie ad quietandum ipsum non valentem obtinere quod cupiebat iniustum declarauit & firmavit decreto Concilium, quod quacumque de causa rex offendisset Bonifacium papam seu ecclesiam, nullo vnquam tempore posset ipsi regi, vel eius filius & heredibus aliquid damni inferri vel pena.

Ioannes Marius Belga de schismate & Concil. libro primo capite vigesimo, eadem habet his verbis: Anno sexto post coronationem, videlicet anno millesimo trecentesimo vndecimo, in mense Nouembri, Clemens magnum & generale totius ecclesie Concilium Vienna in Delphinatu celebravit, cui plures quam trecenti ecclesiastici patres ex variis Christiani orbis partibus interfuere. Magna vero ex parte Concilium hoc celebratum est ad desiderium Philippi Pulcri, qui omnibus modis conabatur ut Clemens papa omnia acta ac decreta Bonifacii octaui ex  
Concil. Tom. 28. Ccccc

memoria hominum aboleret, eumque tamquam hæreticum condemnaret: id quod Clemens quidem regi se facturum promiserat, sed per Concilium approbatum non est, sed solummodo iudicatum ac declaratum, processus, quos Bonifacius contra regem fulminasset, fuisse iniustos ac nullos.

<sup>b</sup> *Oecumenicum.* ] Romanus enim pontifex eidem præfedit, atque inter multos alios Alexandrinus & Antiochenus patriarchæ interfuerunt.

Numerus  
episcoporum.

<sup>c</sup> *Trecentorum & amplius episcoporum.* ] Ita Antoninus & Marius prædictis locis & verbis supra commemoratis.

<sup>d</sup> *Bonifacius papa octauus, &c.* ] Hæc ex Antonino, Vecerio & Mario prædictis locis. Inter calumnias quas illi Philippus rex obiecit, quasque Nauclerus in chronico ceteris prolixius describit, præcipuæ fuerunt, simonia, hæresis & periurium: utpote qui fidem, quam de Romani imperii titulo in se transferendo dedisset, promissionis suæ immemor non adimpleuisset. Vide Vecerium prædicto loco.

De Templariis  
quid  
statutum  
fuerit?

<sup>e</sup> *Templarii extirpantur.* ] Priusquam damnarentur, præmissa est inquisitio super hæresi, sodomia aliisque nefandis sceleribus, quæ ipsis per famam communem ac constantem imponebantur. Eaque commissa fuit omnibus orbis Christiani episcopis: eius vero quæ Colonienfi archiepiscopo eiusque suffraganeis demandata inuenitur, copiam, ex originali, quod in archiuo metropolitane Colonienfis asseruatur, descriptam hic exhibeo:

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus  
archiepiscopo Colonienfi, eiusque suffraganeis salutem  
& apostolicam benedictionem.*

**F**ACIENS misericordiam cum seruo suo Dei Filius Dominus Iesus Christus, ad hoc nos voluit in specula eminenti apostolatus assumi, ut gerentes, licet immeriti, vices eius in terris in cunctis nostris actibus & processibus ipsius vestigia, quantum patitur humana fragilitas, imitemur. Sane dudum circa nostræ promotionis ad apicem summi pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, vbi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus, & post tam, &c. ut supra in epistola ad Philippum regem Francorum, mutatis mutandis, vsque ad id, Grauiter deliquisse. Sequitur: Verum quia in vniuersis mundi partibus, per quas idem ordo diffunditur, ac fratres degunt ipsius, super his non possumus inquirere per nos ipsos, fraternitati vestræ de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta mandamus, quatenus vos &

ANNO  
 CHRISTI  
 1311.

\* Cruda-  
 rio.

quilibet vestrum, videlicet in suis ciuitate & diocesi, vna cum venerabilibus fratribus nostris Moguntinensi, Treuerensi & Magdeburgensi archiepiscopis, ac Basileensi & Constantiensi episcopis, & dilectis filiis abbate monasterii de \* Crudalio, & priore de Longo ponte Cluniacensis ordinis, Viuariensis & Parisiensis diocesis, Paulo de Cadarossa preposito Cauallicensi, decano sancti Seruatii Traiectensis, magistro Bernardo Raimundi archidiacono Maioricensi, Ioanne dicto presbytero Longo Tullensi capellano nostro, & magistro Laurentio de Fusciberte basilicæ sanctæ Mariæ Maioris de Vrbe, canonicis ecclesiarum, vel vndecim, decem, nouem, octo, septem, sex, quinque, quatuor, tribus, duobus, aut vno ex ipsis, quos vobis in hac parte propter negotii magnitudinem duximus adiungendos, vocatis per publicum citationis edictum, per vos & ipsos adiunctos, vel eorum aliquos siue aliquem, in locis, de quibus vobis & iis videbitur faciendum, qui fuerint euocandi contra singulares personas & fratres dicti ordinis in ciuitatibus & diocesis vestris degentes, etiam si aliunde venerint, vel illuc adducti forsitan extiterint, super articulis quos vobis sub bulla nostra inclusos transmittimus, & super aliis, de quibus prudentiæ vestræ videbitur expedire, veritatem cum diligentia inquiratis. Volumus insuper, quod inquisitione seu inquisitionibus huiusmodi factis per prouinciale Concilium contra ipsos, singulares personas, & fratres qui in eadem prouincia fuerint, seu pro eis super his de quibus contra eos inquisitum extiterit, absolutoria seu condemnatoria sententia iuxta iuris exigentiam proferatur. Inquisitore nihilo minus seu inquisitoribus eiusdem prauitatis hæreticæ in ipsa prouincia per sedem apostolicam deputatis, tam ad dictas inquisitiones, quam ad huiusmodi prolationem sententiæ admissis. Prouiso quod de inquirendo vel sententiando contra prefatum ordinem, & contra magnum præceptorem dicti ordinis in regno Alemanniæ constitutum, contra quos per certas personas inquiri mandauimus, vos intrmittere nullatenus præsumatis. Nostræ etiam intentionis existit, & volumus, quod tu, frater archiepiscopo, in huiusmodi inquisitionis per tuos suffraganeos, vt præmittitur, fa-

ciendæ negotio, cum singulis eisdem suffraganeis, quibus ad hoc te similiter duximus adiungendum, vna cum prædictis aliis adiunctis, vel vndecim, decem, nouem, octo, septem, sex, quinque, quatuor, tribus, duobus, aut vno ex ipsis, siue etiam per te ipsum, procedas, si potueris, iuxta formam super hoc adiunctis traditam memoratis.

ANNO  
CHRISTI  
1311.

Datum Pictauis secundo Idus Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Commissionis vero quæ adiunctis datæ formam procedendi præscribunt, literæ sic se habent:

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Moguntinensi, Treuerensi & Magdeburgensi archiepiscopis, ac Basileensi, Constantiensi episcopis, ac dilectis filiis abbati monasterii de Crudario, & priori de Longo ponte, Cluniacensis ordinis, Viuariensis & Parisiensis diœcesis, Paulo de Cadarossa præposito Cauallicensi, decano sancti Seruatii Traiectensis, magistro Bernardo Raimundi archidiacono Maioricensi, Ioanni dicto Longo presbytero de Alemannia capellano nostro Romariensi, & magistro Laurentio de Fusciberte basilicæ sanctæ Mariæ Maioris de Vrbe, canonicis ecclesiarum, salutem & apostolicam benedictionem.*

**F**ACIENS misericordiam cum seruo suo Dei filius, &c. vt præcedente bulla ad archiepiscopum Coloniensem data, vsque ad illa verba, Non possumus inquirere per nos ipsos, sequitur, Discretionis vestræ, de quorum circumspeditione specialem fiduciã gerimus, de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta mandamus, quatenus ad Coloniensem ciuitatem & diœcesim ac prouinciam personaliter accedentes, vna cum venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Colonienfi, eiusque suffraganeis, quibus vos propter huiusmodi negotii magnitudinem in hac parte duximus adiungendos, cum quolibet eorum, videlicet in suis ciuitate & diœcesi vocatis, &c. vsque ad illa verba.

Testes autem si qui a vobis requisiti vel admoniti vel citati, vt super dictis articulis ferant veritatis testimonium, coram vobis se prece vel precio, gratia vel amore, odio vel timore, a ferendo testimonio subtraxerint; nec non fautores, receptatores & defensores prædictorum fra-

ANNO  
CHRISTI  
1316.

trum, qui a vobis citati vel vocati, vt præmittitur, coram vobis non comparuerint, eos insuper qui prædictam vestram inquisitionem directe vel indirecte, publice vel occulte, vel per se vel alium, seu alios vel alias, quoquomodo præsumpserint impedire, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis; inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, vndecim, decem, nouem, octo, septem, sex, quinque, quatuor, vel tres aut duo, seu vnus vestrum, ea nihilo minus exequantur. Nostræ etiam intentionis existit, &c. vt supra, mutatis pauculis.

Captis per inquisitores ex hac commissione militibus fere omnibus, accidit quod bona eorundem mobilia diuersorum prædis exponerentur, possessiones ac redditus occuparentur, ac iura eorundem occulte subtraherentur. Ne itaque detrimentum sentirent loca pia, quibus eorum bona applicanda erant, idem pontifex ad omnes Christi fideles hoc modo rescripsit:

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

**A**d omnium fere notitiam credimus peruenisse nefanda scelera, & crimina abhorrenda, hæresim notorie sapientia, quibus ordo & personæ Templariorum non leuibus argumentis, sed manifestis indiciis & violentis præsumptionibus diffamati noscuntur, super abnegatione videlicet Domini saluatoris nostri Iesu Christi, & super nefanda, temeraria, & præsumptuosa & hæretica conspuitione super eiusdem imaginem crucifixi, nec non & super pluribus articulis: quos quia fore credimus manifestos, exprimi non oportet: sicque, excrebescente infamia, & imminentibus scandalis plurimis, minime contemnendis, quæ non leuiter totam scandalizabant ecclesiam, urgente conscientia, per totum orbem terrarum iam dudum ipsos capi mandauimus: & tandem cepimus super his contra eos inquirere per nos ipsos, nonnullis ex fratribus nostris adscitis ad inquisitionem prædictam nobiscum solícite peragendum. Et tandem præsentatis notis personis eisdem, non paruo sed grandi numero, non leuis sed magnæ auctoritatis viris olim in ordine supra dicto, sacerdotibus, præceptoribus, militibus, & seruien-

Ccccc iij

tibus, per eorum confessiones & depositiones spontaneas libere factas coram nobis & fratribus ipsis, in secreto prius, & postmodum coram nobis, totoque collegio fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, patuit manifeste, quoad personas ipsas confitentes, dicta crimina & scelera esse vera: iidemque confitentes omnes & singuli, suum humiliter recognoscentes errorem, nostram & apostolicæ sedis non iustitiam sed misericordiam & veniam implorarunt: quibus cum omni humilitate & reuerentia & proprii eorum recognitione erroris omnino persistentibus, pro absolutione ab excommunicationis sententia, quam ex huiusmodi hæresis reatibus & sceleribus incurrerant, ipsis misericorditer impendenda, nos, qui licet indigni vicarii sumus illius cuius miserationes super omnia opera eius existunt, & quia Romana mater ecclesia non claudit, prout nec claudere debet, gremium redeunti, sed potius errantem ouem ad ouile dominicum super humeros proprios reportare, facta a suprascriptis confitentibus cum magna humilitate, & reuerentia debita, abiuratione huiusmodi hæreseos secundum canonicas sanctiones, eisdem fecimus iuxta formam ecclesiæ munus absolutionis impendi, iniungendi eis propterea salutarem pœnitentiam, nobis & dictæ sedi, seu quibus id committendum duxerimus, potestate specialiter reseruata.

Ex prædictis itaque confessionibus, & nonnullis aliis causis legitimis, non immerito excitati, visis etiam diuersis processibus contra singulares personas dicti ordinis super ipsis sceleribus & criminibus factis per locorum ordinarios & inquisitorem generalem hæreticæ prauitatis in regno Franciæ, in quibus multorum aliorum confessiones & depositiones contineri videbantur aperte, ex quibus violenta suspicio contra ordinem ipsum & personas eiusdem habebatur super criminibus antedictis contra omnes singulares personas dicti ordinis, nec non & ipsum ordinem, cum omni diligentia & sollicitudine per alias nostras literas mandauimus & mandamus inquiri, vt per huiusmodi inquisitiones de suprascriptis criminibus & infamiis, contra ordinem & personas præstitos, vel pro ipsis, veritas elucescat.

ANNO  
CHRISTI  
1311.

Verum quia occasione huiusmodi subsecutorum processuum, & captionum personarum ordinis prælibati, bona ipsius mobilia, quæ vel pro ipso ordine, si reperiatur innocens, vel alias pro subsidio terræ sanctæ & contra perfidos Saracenos inimicos fidei Christianæ, ad quæ bona prædicta per fideles ipsa largientes deputata fuerant, & nos ipsi eadem bona vna cum aliis bonis immobilibus eorumdem ad ea decreuimus deputanda, nequiter a nonnullis subtracta, penes aliquos malitiosè, indebite & iniuste absconsa & celata feruntur, in graue ipsorum animarum periculum, ecclesiæ prædictæ contemptum, & dictæ terræ præiudicium, dispendium & iacturam, nos volentes debitum in hac parte remedium adhibere, vniuersis & singulis sub virtute obedientiæ ac excommunicationis pœna, quam excommunicationem contra facientes post vnus mensis spatium a notitia præsentium immediate sequentis, cuiuscumque præeminentia, dignitatis, status, vel conditionis existant, ecclesiastici vel mundani, etiam si pontificali præfulgeant dignitate, incurrere volumus ipso facto, auctoritate apostolica districtè præcipiendo mandamus, quatenus habentes, tenentes & possidentes, vt prædicitur, per se vel alium seu alios aliquas pecuniarum summas, vel alia mobilia bona quæcumque, vel se mouentia personarum vel ordinis prædictorum, siue causa depositi, vel alia quacumque causa, occasione vel titulo, si qui etiam personis vel ordini antedictis in quacumque summa vel quantitate pecuniæ obnoxii vel alias quomodolibet fuerint obligati, ex quacumque causa vel titulo, vel ab eis aliquid receperint, vel ipsorum nomine per quemcumque aut pro ipsis libere integraliter & sine diminutione restituant, reddant & soluant, sub instrumentis publicis locorum ordinariis siue superintendentibus administrationi bonorum dicti ordinis per sedem ipsam deputatis vel etiam deputandis: non obstantibus quibuscumque promissionibus super his ab ipsis præstitis, pœnis, iuramentis, cautionibus obligationibus, seu fideiussionibus forsitan roboratis.

Si qui autem etiam nihil habentes de bonis prædictis nihilque debentes eisdem, ac in nullo ipsis quomodolibet obligati, sciuerint aliquem aliquid habere, tenere vel

possidere de ipsis bonis, vt superius est expressum, aut aliquem debitorem dictorum ordinis & personarum, vel eis quomodolibet obligatum; siue aliquem aliquid ab eis, vel pro ipsis, vel eorum nomine, vel alicuius eorum recepisse, infra idem tempus ordinariis vel superintendentibus prælibatis, sub instrumentis similibus aperte reuelent: alioquin supradictam sententiam ipsos incurrere volumus ipso facto, quam, si ipsi & alii superius nominati per sex menses sustinuerint animo indurato, ordinariis ipsis & quibuslibet aliis absolutionem eorum penitus interdiximus, ipsam nobis & successoribus nostris, præterquam in mortis articulo, tantummodo referuantes.

Et vt præmissorum ignorantiam nemo prætereunda valeat, huiusmodi processum nostrum mandamus & volumus per illos, quibus in aliis nostris literis id committimus, in locis contentis in eis solenniter publicari.

Datum Pictauis secundo Idus Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

De Templariis hac Synodo sublatis & extirpatis Trithemius in chronico Hirsaugiensi ista habet: *Anno dominice natiuitatis millesimo trecentesimo undecimo Clemens papa V. Concilium Viennense celebrandum indixit, quod biennio durauit, in quo liber Clemeninarum publicatus fuit, & multa ad ecclesie utilitatem statuta. Ibi ordo Templariorum, qui annis ferme 184. steterat, ab ipso Clemente papa condemnatus fuit, & vno die per vniuersum orbem deletus, ad instantiam Philippi regis Francorum, cuius promotione ipse papa electus fuerat. Fuerunt autem Templarii valde diuites, quorum possessiones vt rex sibi acquireret, crimen eis hæreseos falsum imposuit, vt multi voluerunt, & extingui omnino parauit.*

Antoninus prædicto loco recensens quid contra Templarios in hac Synodo gestum fuerit, post ea quæ supra commemorauimus hæc subiungit: *Item statutum fuit quod omnia bona & possessiones, que fuerant mansionis Templi, assignarentur mansioni hospitalis Hierosolymitani. Et quia iam fuerant occupata a diuersis dominis laicis, oportuit quod illi de hospitali magnum thesaurum exponerent in dando regi & aliis qui occupauerant dicta bona. Vnde depauperata est mansio hospitalis, que se existimabat inde opulentiam fieri.*

Ioannes Marius eadem commemorans ait: *In hoc quoque Concilio decretum est vt bona, redditus ac possessiones Templariorum, qui propter hæresim aliaque facinora nefanda destructi ac combusti fuerant, equibus Hierosolymitanis, qui nunc Rhodii dicuntur, attribuerentur. Hæc ille.*

Quales fuerint Templarii.

Quales Templarii initio fuerint, qualesve esse cœperint, Guilielmus Tyrius in historia belli sacri breuiter his verbis indicat: *Templario-*

ANNO CHRISTI 1211. plariorum ( quibus de mandato domini Honorii papæ, & Stephani Hierosolymitani patriarchæ, regula & habitus assignabatur ) professio hac fuit, ut vias & itinera maxime ad salutem peregrinorum contra latruncolorum incursiones in terra sancta conseruarent: qui, quoniam iuxta Domini templum mansionem haberent, fratres militiae Templi dicebantur. Cum autem patriarcha Hierosolymitano, a quo prima beneficia susceperant, obedientiam denegarent, & ecclesiis Dei decimas & primitias subtraherent, earum indebite turbando possessiones, facti sunt omnibus molesti. Hæc Tyrius. Vrspergensis in chronico post annum millesimum ducentessimum vigesimumseptimum: Fridericus II. apud Accon in terra sancta, ut aiunt, multa sustinuit ex perfida prodicione Templariorum. Platina in vita Clementis V. Rescitum est, inquit, Templarios a nostris ad Saracenos defecisse. Hanc ob rem eorum bona partim Rhodiis militibus, partim nouis religionibus sunt attributa.

Crimine hærefeos non falso, ut ait Trithemius, sed vero fuisse notatos, testatur Thomas Vvallingham historiae Anglicanae scriptor antiquissimus his verbis: Hoc anno, Kalendis Octobris, sub papa Clemente quinto celebratum fuit Concilium apud Viennam, in quo Templariorum ordo damnatus est. Et ante illud Concilium per vniuersum orbem generaliter fuit diuulgatum, quod omnes & singuli religiosi exempti ad ius transirent commune, unde solus ordo Cisterciensis papam adiit ante dicti Concilii celebrationem pro exemptione sua pristina pacifice obtinenda: quod & obtinuit donis datis. In isto Concilio petita fuit & concessa decima sexennalis in subsidium terra sancta, & annis successiuis soluta. Philippus rex Francia cogitauit unum de filiis suis regem Hierosolymitanum facere, & impetrare sibi omnes redditus & prouentus Templariorum. Et hac occasione prius multos Templarios in regno suo, & præcipue magistrum magnum ordinis, & alios multos procurauit comburi, & totum ordinem procurauit & fecit in Concilio prædicto damnari. Sed tamen propositum suum de eorum redditibus non est consecutus, quia papa hospitalarius hac assignauit, non sine magna pecunia interuentu. Deposuit nempe fuit contra Templarios, & compertum, quod quando receperunt quemquam ad ordinem, amotis omnibus, exceptis fratribus eiusdem ordinis, adduxerunt illum ad locum priuatum, & totaliter denudauerunt, & tunc vnus accederet ad eundem, & eum oscularetur in posteriori parte, deinde induceretur & cingeretur corrigia de sambuco. Et post crux portaretur, & ibi diceretur sibi, quod crucifixus non est Christus, sed quidam falsus propheta deputatus per Iudeos ad mortem propter delicta sua, & fecerunt eum ter spuerere super illam, & postea proiecerunt crucem ad terram, & eam pedibus conculcari fecerunt, deinde ostenderunt sibi caput cuiusdam idoli, quod quotidie adorabant. Et præter hac depositum est contra eos, quod vitio fœdabantur Sodomitico, statuentes quod nullus utatur mulieribus, sed quilibet alterutro, cum voluerit, unde postea cum factum fuisset Concilium prouinciale in Anglia Londoniis contra Templarios super his articulis, quod quidem Concilium durauit a mense Maii vsque ad mensem Iunii, in quo Templarii capti & accusati fatebantur famam, sed non factum, nisi vnus vel duo ribaldi in omni  
Concil. Tom. 28. Dddd

statu. Omnes tamen fatebantur finaliter, non posse de sibi impositis se purgare, & ideo adiudicati fuerunt per Concilium perpetua penitentia. Ita quod singuli in singulis monasteriis possessionis detruderentur pro perpetua penitentia peragenda, qui postea in huiusmodi monasteriis bene per omnia se gerebat. Cum in Concilio Viennensi tractaretur, an propter vocationem singularum personarum ordinis Templariorum, vel propter acta contra eosdem posset totus ordo damnari propter singularium delinquentium vocationes, cum constaret quod dictus ordo non fuerat vocatus, definitum fuit per dictum Concilium, quod non de iure. Ideo papa Clemens in bulla sua condemnatoria ordinis adiecit hanc clausulam: Quamquam de iure non possumus, tamen ad plenitudinem potestatis dictum ordinem reprobamus.

Petri Ioannis  
hereses  
quæ?

<sup>f</sup> Petri Ioannis. ] Petrus Ioannis, inquit Sanderus, auctore Guidone Carm. Joachim abbatis discipulus erat: hic negabat animam rationalem, qua rationalis est, formam esse humani corporis: gratias & virtutes in baptismo infundi, Christumque adhuc viventem lancea vulneratum, & quod euangelista iam aliter narret, perturbate narratum videri assererat.

Fratricelli  
& Dulcinistæ  
qui &  
quales?

<sup>g</sup> Fraticellorum & Dulcinistarum. ] Fraticelli & Dulcinistæ (sic dicti a Dulcinio quodam, cuius concubinam nomine Margaretam ab ipso imprægnatam de Spiritu sancto concepisse nefarie & impudenter euulgabant) promiscuos concubitus in locis occultis exercebant; visionem sanctarum animarum vsque ad nouissimum diem differri, aliaque plura impia dogmata Fraticellos sectantes docebant. Ad quas hereses euertendas patres Concilii de substantia animæ rationalis, de paruulorum baptismo, de vulnere Christo defuncto per lanceam inflictio definiuerunt ea quæ Clem. 1. de summa fide & Trinitate habentur.

Beguardorum  
& Beguinarum  
hereses  
quæ?

<sup>h</sup> Beguardorum & Beguinarum. ] De his eorumque erroribus in hac Synodo condemnatis Antoninus prædicto cap. 3. §. 2. ista ait: In eodem Concilio fuerunt damnati octo errores Beguinarum & Beguardorum, qui insurrexerunt in Alemannia, ut habetur de heretic. ad nostrum. in Clemen. Quorum primus est, quod homo in vita presenti tantum & talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit. Nam, ut dicunt, si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inueniri. Secundus est, quod ieiunare hominem non oportet vel orare, postquam gradum perfectionis huius fuerit assecutus: quia tunc sensualitas ita est perfecte spiritui & rationi subiecta, quod homo potest libere concedere corpori quidquid placet.

Tertius est, quod illi, qui sunt in illo gradu perfectionis & spiritu libertatis, non sunt humana subiecti obedientia, nec ad aliqua præcepta ecclesie obligantur, quia, ut asserunt, ubi spiritus Domini, ibi libertas.

Quartus, quod homo ita potest finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in presenti assequi, sicut eam in vita beata obtinebit.

Quintus quod quilibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est

ANNO  
CHRISTI  
1511.

beata, quodque anima non indiget lumine glorie ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.

Sextus est, hominem in virtutum actibus se exercere est hominis imperfecti, quia anima perfecti licentia a se virtutes.

Septimus, quod mulieris osculum (cum ad hoc non inclinet natura) est mortale peccatum, actus autem carnalis (cum ad hoc inclinet natura) non est peccatum: maxime cum tentatur exercens.

Octauus est, in eleuatione corporis Iesu Christi, non debet talis exurgere, aut ei reuerentiam exhibere: asserunt enim quod esset imperfectio- nis eisdem si a puritate & altitudine sue contemplationis tantum de- scenderet, quod circa sacramentum eucharistia, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent. Qui omnes errores reprobati sunt in dicto Concilio, & mandatur diocesani & inquisitoribus, ut puniant tales. Gloss. ibi. Ioann. Andr. sufficienter ostendit qualiter ista sunt erronea, & contra doctrinam sanctorum. Hæc Antoninus.

<sup>1</sup> Expeditioque, &c.] Ita Platina in vita Clementis quinti, Marius prædicto loco verbis infra recensendis, & Krantzius Saxon. li- bro nono, capite tertio: *Annus erat, inquit, undecimus post mille trecentos, cum Clemens V. pontifex Romanus Concilium apud Viennam Narbonensis Gallia urbem celebrauit: in quo ad alterius anni medie- ratem protracto, Templariorum omnino nomen extinxit, deque sibue- niendo Hierosolyma multa in eo verba iactata sunt, que in irritum ce- cidere, &c. Hæc Krantzius.*

<sup>2</sup> Plurimeque constitutiones.] Harum alia mores, alia fidem con- cernentes, extant in corpore iuris canonici, & Clementinae inscri- buntur. Ad fidem pertinent quæ apud Antoninum cap. 3. §. 1. de- scribuntur his verbis: *In Clement. prima de fide catholica sic dici- tur: Fidei catholica fundamento firmiter inherentes, aperte cum sancta ecclesia consistemus unigenitum Deum Filium in iis omnibus quibus Deus Pater existit, vna cum Patre æternaliter subsistentem, partes no- stræ naturæ simul vnitas (ex quibus ipse in se verus Deus existens ve- rus homo fieret) humanum videlicet corpus passibile, & animam intel- lectiuam seu rationalem, ipsum corpus vere & per se, & essentialiter in- formantem assumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad vnitatem suæ hypostasis & personæ. Et quod in hac assumpta natura ipsum Dei Verbum pro omnium operanda salute non solum affigi Crucis & in ea mori voluit, sed etiam spiritu emisso perforari lancea sustinuit latus suum, ut inde profluentibus vndis aquæ & sanguinis formaretur vni- ca & immaculata ac virgo sancta mater ecclesia coniunx Christi, sicut de latere primi hominis soporati Eua sibi in coniugium est formata: ut sic certa figura primi & veteris Adæ, qui, secundum Apostolum, est & forma futuri, & in Christo nouissimo Adam in Christo veritas re- sponderet. Hæc est, inquam, veritas illius prægrandis aquila valla- ta testimonio, quam propheta vidit Ezechiel animalibus ceteris eu- angelicis transuolantem, Ioannis videlicet apostoli & euangeliste. Et infra:*

*Porro doctrinam omnem seu positionem temere asserentem, aut ver-*  
Concil. Tom. 28.

Dddd ij

Constitu-  
tiones Con-  
cili Vienn-  
ensis quart

tentem in dubium, quod substantia anima rationalis, aut intellectiua, vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholica fidei inimicam sacro approbante Concilio reprobamus; desinientes, ut si quisquam deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter presumpserit, quod anima rationalis seu intellectiua non sit forma corporis humani per se, & essentialiter, tamquam hereticus sit censendus.

Baptisma vnicum est in omnibus etiam paruulis.

Baptisma vnicum, baptizatos omnes in Christo regenerans, sicut vnus Deus, ac fides vnica, ab omnibus fideliter consistendum est. Quod celebratum in aqua in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, credimus esse tam adultis quam paruulis communiter perfectum remedium ad salutem. Verum quantum ad effectum, cum theologi opiniones varias habeant, videlicet dicentibus quibusdam paruulis culpam remitti, sed gratiam non conferri, aliis econtra asserentibus quod & culpa eisdem in baptismo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore, quoad usum; nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit tam paruulis quam adultis conferri in baptismo gratiam informantem & virtutes, tamquam probabiliorem, & dictis sanctorum ac doctorum modernorum theologie magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.

Item in titulo de vsuris ex graui. in Clement. dicitur, quod si quis in hunc errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare presumat, vsuras non esse peccatum, decernimus eum velut hereticum puniendum, & ordinarii & inquisitores hereticorum possunt contra tales ut contra hereticos procedere.

In quo etiam capite statuitur quod communitates, aut quicumque officiales, qui statuta scribere, vel dictare, aut quod soluantur vsura, vel quod soluta non restituantur, plene ac libere scienter iudicare presumpserint, sententiam excommunicationis incurrunt: & similiter eandem sententiam incursum, si statuta huiusmodi hæctenus edita de libris communitatum quantum est in potestate eorum non deleuerint, vel si etiam ipsa statuta vel consuetudines obseruare presumpserint. Item quod fenneratores possunt per censuram compelli ad ostendendum libros suarum rationum.

Ad mores pertinent quæ apud eundem initio capitis tertii ita summatim recensita sunt his verbis: In eodem Concilio fuerunt facta multa constitutiones generales: præcipue concernentes statum religiosorum, & monachorum præcipue nigrorum: de statu monachorum, ne in agro. Mendicantium, quoad prædicationes, audientiam confessionum, & sepulturas: ubi datur forma seruanda ab eis. extra. de sepul. dudum. in Clem.

Originaliter illa constitutio fuerat edita a Bonifacio octauo, quæ incipiebat: Super cathedram, & erat extrauagans: sed per Benedictum undecimum successorem immediatum fuit reuocata, per Clementem autem quintum in Concilio reposita in suo vigore, & in corpore iuris in-

ANNO  
CHRISTI  
MIII.

*serta, scilicet in Clementinis. Hæc quidem Clementina edita fuerunt in ipso Concilio.*

*In titulo de excessibus priuilegiatorum fertur sententia excommunicationis contra eos religiosos qui administrant sacramenta eucharistie vel extreme unctionis alicui sine licentia sui sacerdotis parochialis, vel episcopi sui, vel solennizant matrimonia sine dicta licentia, vel absolunt a sententiis iuris communis vel particularis, scilicet prouincialis, vel synodalis promulgatis, vel absolunt a culpa & pena, cuius excommunicationis absolutio papa reseruatur.*

*In titulo de uerborum significatione exponitur regula beati Francisci, & declarantur multa dubia eius.*

*In titulo de relig. dom. Quia contingit, constituuntur quadam pertinentia ad gubernationem hospitalium.*

*In titulo de immunitate ecclesie derogatur pro parte constitutioni Bonifacii octauis, qui statuerat eodem titulo cap. Clericis, scilicet, quod non solum exigentes pedagia & gabellas & taleas a clericis & personis ecclesiasticis, pro rebus suis, vel ecclesiarum suarum, essent excommunicati, sed etiam soluentes talia: unde sequebantur rixæ inter exigentes & exactos: quia nolebant exacti soluere, ne inciderent in Canonem: unde quantum ad istam partem, scilicet quoad soluentes, ablata fuit censura illa.*

Plures inuenies in corpore iuris canonici. Post hæc idem Antoninus quasdam res in hac Synodo gestas subiungens ait: *In ipso Concilio fuit sanctorum catalogo adscriptus sanctus Ludouicus filius secundi Caroli regis Apulie, & frater regis Roberti. Qui Ludouicus, cum esset primogenitus Caroli, propter quod ad eum regnum Apulie spectabat, mundum contemnens, habitum ordinis Minorum assumpsit ex humilitate & deuotione, postea archiepiscopus Tolosanus factus religiosam & sanctam conuersationem usque ad finem seruans requieuit in Domino, miraculis clarens.* Hæc Antoninus.

In hac Synodo etiam gesta fuerunt quæ Ioannes Marius prædicto loco recenset his uerbis: *Dominicani etiam fratres, qui inter sese disenserant, hic in gratiam mutuam reducti fuere. Canones quoque complures, decreta atque statuta reformationem ecclesie concernentia, publicata fuere, & liber Clementinarum a Clemente compositus in hoc Concilio est editus: & Calestinus quintus, sub nomine Petri confessoris, in sanctos relatus. Ad hæc diu multumque de recuperatione terre sanctæ consultatum est, sed res effectu caruit.* Hæc Marius.

<sup>1</sup> *Anno Domini MCCCXI.] Ita omnes quotquot supra commemorati scriptores, initium eius ad Kalendas Octobris referentes; Trithemio biennio, Krantzio sesquiennio durauit. Vtriusque uerba supra recitata inuenies. Hæc sunt quæ colligere potui fragmenta Viennensis Concilii: plura quisquis inuenit, suppeditet, totique ut ecclesie per appendicem commemorari procuret etiam atque etiam rogo.*